

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis  
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus  
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.  
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

**Cocceji, Samuel von**

**Lipsiæ, 1766**

LIB. XLVII. TIT. XIII. De Concussione.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9050**

RESP. Loquitur textus de fisco actore; adeoque de processu inquisitorio.

Qv. II. *An locum habeat hæc actio, si quis ejecerit mortuum sepultum in eum locum, ubi sepeliendi jus non erat?*

*Laut. pag. 673. verb. si quis ejerit.* **N**EGATUR; quia non erat sepulchrum, cum inferendo in locum alienum sepeliens eum non faciat religiosum, *l. 2. §. 7. l. 4. l. 7. l. 43. ff. l. 2. C. h.* Unde nec violari potest.

OBJ. *L. 3. ff. de Relig.* ubi eximere vi propria non licet.

RESP. Alia actio datur, scilicet injuriarum, non vero de sepulchro violato.

DISSENTIT *Lauterb. a se ipso supr. p. 163.* ubi ait, non posse mortuum, in loco alieno sepultum, propria autoritate effodi sine pœna sepulchri violati, atque in eam rem allegat, *l. f. de Sepulch. viol.* Verum ea nihil probat; nam agit de sepulchro, quod non est, si in alieno loco mortuus infertur. *Conf. Frantzck. tit. de Relig. n. 10.*

Qv. III. *Qualis pœna in spoliatores cadaverum fit constituta?*

*Laut. pag. 673. verb. si sine armis.* **R**ESP. Olim mors in vilioribus, deportatio in honestioribus, *l. f. h.* Hodie arbitraria, *Carpz. Pr. Crim. qu. 83. n. 60.* Miratur *Dn. Stryk. h. t.* cur non detur actio furti, sed in promptu est ratio, quia plane dominus, vel saltem invitus non est.

## LIB. XLVII. TIT. XIII.

## DE CONCUSSIONE.

Qv. I. *An diffidatio sit affinis concussioni?*

*Laut. pag. 674. verb. hujus affinis &c.* **N**EGATUR; sed rectius affinis dicitur scopelismo: nam hæc est diffidatio realis, uti supra *ad tit. de Extraordinariis criminibus* vidimus.

Qv. II. *Quomodo differat diffidatio a minis?*

**R**ESP. Ut genus & species; nam diffidationes sunt minæ conjunctæ cum facto, quo significatur pernicietas, & contemptus judicis. *Vid. Carpz. P. 4. Const. 15. def. 2. per tot. & Pract. Crim. qu. 37. n. 65.*

LIB.



LIB. XLVII. TIT. XIV.

DE ABIGEIS, ABACTORE,  
ABIGEATORE &c.Qv. *An etiam sit abigeus, qui pecus ex stabulo  
subtrahit?*

**A**FFIRMATUR in *L. 3. §. 1. h.* NEGATUR in *L. 1. §. 1. h.* Utrumque verum: nam *proprie* e sylvæ & pascuis publicis apertisque abigunt, *d. L. 1. minus proprie* e stabulis, ubi non est nuda abactio; adeoque *plenius* est coercendum, *d. L. 3. non lenius*, ut legit Cujacius.

LIB. XLVII. TIT. XVI.

## DE RECEPTATORIBUS.

Qv. I. *An receptatores etiam reorum privati delicti puniantur ex hoc crimine?*

**A**FFIRMATUR; quia, qui furem celat, ut fur punitur, *L. 48. §. 1. Laut. pag. de Furt.* & ille, qui recepit raptorem, eadem pœna tenetur, *L. 3. §. 3. de Incend.* Utrumque autem est delictum privatum. *Laut. pag. 675. verb. etiam privati &c.*

EXC. Si tale delictum sit, ex quo reus principalis extra ordinem conveniri nequit, adeoque nec receptator, ut in Lege Aquilia.

Qv. II. *An parentes & cognati suspecti de receptione, juramento se purgare debeant?*

**N**EGATUR, tum, quia metus est perjurii, tum, quia parentes ad-  
versus liberos nec volentes ad testimonium admittuntur, *L. 6. C. Laut. pag. 676. verb. non etiam parentes.*  
*de Testib.*

OBJ. Publice interesse, ut hujusmodi delicta puniantur.

RESP. Non tamen tanta est hæc ratio, ut tollat metum perjurii, vel pietatem parentum erga liberos.

OBJ. *arg. L. 35. de Relig.* ubi pater filium perduellem & parricidam impune occidere potest, idque ob salutem publicam.

RESP. Singulare est in crimine læsæ majestatis, &amp; parricidio.

O o o o 3

Qv.

